



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 5. De Potestate Episcoporum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Tractatus Primus,
 alicuj⁹ emendæ salutaris pro futuro. Correctio vero judicialis non potest adhiberi in visitatione, ut visitatio est: quia ut adhibetur, requiritur ut substantia juris opportune servetur, quod in visitatione fieri non potest, interdum vero potest ex visitatione judicium formari, & consequenter iuridica correctio sequi, maxime si reus in gravi & flagranti criminis sit deprehensus, nunquam tamen ad correctionem juridicam procedendum, quamdiu correctioni paternæ seu fraternæ locus datur, & peccatum publicum non est.

Articulus Quintus.

De potestate Episcoporum.

I. **P**otestas Episcopalis, respectu regis sibi commissi, talis & tanta est proportionate, qualis & quanta potestas Summi Pontificis, salva supremitate, universalitate, & independentia: quia sicut Pontifex judex est fidei & controversiarum in universali Ecclesia, ita Episcopus inquisitor & judex est fidei & controversiarum

in sua Diæcesi. In hoc solum est distinctio,
quod certitudo fidei à prima sede emanet,
in Episcopo autem ejus conservatio &
propagatio resideat. Item sicut Papa Ma-
gistratum Ecclesiae universalis instituit, ita
Episcopus in sua Diæcesi Pastores & Mi-
nistros instituit. Item sicut Papa in univer-
sali Ecclesia clavum potestate utitur in ab-
solutionibus peccatorum, dispensationi-
bus à votis, ab impedimentis, à pænis, à
vinculis, juxta exigentiam salutis subdito-
rum: ita Episcopus circa suæ Diæcessis, ni-
si ei desuper potestas restricta fuerit. Item
sicut Papa peccantes censuris cohibet, ex-
communicando, suspendendo, deponen-
do, degradando, ita & proportionate Epi-
scopus.

2. Ab omnibus etiam casibus & censu-
ris, quæ formaliter Papæ reservatae non
sunt, potest Episcopus absolvere, sicut & in
pænis similiter non reservatis dispensare.

3. Deinum in omnibus votis, vinculis
& impedimentis, ex justa causa potest Epi-
scopus dispensare, nisi similiter de eorum
reservatione constet. In dubio vero, an sint

Summo Pontifici reservata, supposita iusta causa potest Episcopus absolvere & dispensare, nam in dubijs melior est conditio possidentis potest tamen in casibus, paenitentia, votis, impedimentis, Summo Pontifici reservatis in foro conscientiae Episcopus absolvere & dispensare, quando animae salus pericitatur, nec datur moralis accessus ad S. Sedem.

TITVLVS QVARTVS.

Articulus Unicus.

De Archidiaconis & Officialibus.

I. **A**rchidiaconi officium antiquitus in sequentibus consistebat, quæ recenset Innocent. III. lib. 1. Decretal. Tit. 23. cap. 7. *Archidiaconus secundum statuta B. Isidori imperat Subdiaconis & Levitis, Parociarum sollicitudo & eorum ordinatio ab ipsum pertinet, & audiire debet iuris singularum, omnem sollicitudinem tam in Clericis, quam in Ecclesiis eorum impendendo cum super his sit redditurus rationem in districto*